



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 60. Fœderatorum plures orta dissensione juramentum exsolventes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

moratus, Cliviam, & postremo Dilem-
burgum antiquam Nassavorum Sedem,
exeunte Mense Aprili, se recipit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

§. LX.

*Fœderatorum plures orta dissensione
juramentum exsolventes.*

Tum Egmontius Comes Gubernatrici
ultra operam offerre, remque cu-
rare publicam solito intentius cœpit,
nam & Sacramentum, uti pollicitus
erat, peculiari forma dixit, & distur-
batus per inferiorem Flandriam Consi-
storii, oppida nonnulla ipse sex pedi-
tum signis stipatus exarmavit, & alie-
num se adeo ab aliquorum Fœderato-
rum consilio ostendit, ut se penitus ab
eorum familiaritate segregaret: post-
quam igitur Fœderati se Oranii Princi-
pis, & Egmontii Comitis societate de-
stitutos cernerent, certatim plures alii
fœderi invicem promisso renuntiabant,
atque eorum quamplurimi suam secu-
ritatem Gubernatricis præsidio commit-
tere satius ducebant, quam sese pericu-
loso diuturnæ oppositionis fato expone-
re: unde hoc Sacramentum, cui an-
tea vehementer reclamabant, a non
paucis dicebatur, imo & Hornanus, &
Hochstratus Comites æque, ac ceteri
illud nuncupabant, plures vero fuga
sese subdixerunt. Trajectenses quoque

Sæcul XVI. destinata ad Gubernatricem legatione
 A.C. 1567. veniam exorantes anteaқта deprecantur, seque futuros pollicentur in potestate Regis, atque Episcopi, nam Trajectum partim Leodiensi paret Antifiti, partim Brabantiae Duci. Horum exemplum sequebantur Buscoducenses, seu Sylva-Ducenses, necnon Antverpiani, unde Gubernatrix tam prospero, atque inexpectato successu læta omnibus summam indulfit clementiam, atque Antverpiam venire festinavit, ut carissimi populi sui conversionem præsentia sua honestaret.

§. LXI.

Gubernatrix urbem ingressa triumphantis in modum.

*Strada &
Thu. l. c.*

Gubernatrix ut ipsius in urbem ingressus eo augustior, magisque tutus esset, sexdecim lectissimorum peditum signa præmisit Ductore Petro Ernesto Comite Mansfeldio, qui, ne aut exauthorati Antverpiæ milites, aut factiosi cives aliquid forte turbarent, præmissis militarium impedimentorum vehiculis, atque ad viarum capita objectis, veluti pugnaturæ agminæ urbem intravit, ubi dispositis continenti ordine per vias, ac fora majoribus, minoribusque Sclopetariis excepit Gubernatricem, quæ extremo mense Aprili sequebatur, ingenti